



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

IV. Die Markgrafen Otto und Conrad vereignen dem Kloster Seehausen auf Antrag des Ritters Reiner von Lenz eine Getreidehebung von dem zwischen Potzlow und Seehausen gelegenen Werder, am 5. Januar ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

IV. Die Markgrafen Otto und Conrad vereignen dem Kloster Seehausen auf Antrag des Ritters Reiner von Lenz eine Getreidehebung von dem zwischen Poglów und Seehausen gelegenen Werder, am 5. Januar 1283.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Amen. Otto et Conradus, dei gratia Brandenburgenses Marchiones, Omnibus ad quos presens scriptum peruenerit salutem in perpetuum. Ne pro defectu memorie, que provida dispositione geruntur in tempore, mater erroris ingrata surrepat obliuio, expedit gesta in tempore seu gerenda litterarum beneficio perhennari. Quapropter notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, quod diuino afflato spiritu cenobio sanctimonialium Sehusen ordinis Cisterciensis ad petitionem fidelis nostri militis Reineri de Lenz, ob salutem nostram et progenitorum nostrorum proprietatem octo chororum tritici de insula, que est inter pozlawe et zehusen sita, dandorum annuatim ac perpetualiter donauimus de maturo virorum nostrorum consilio perhenniter possidendam, hoc quoque adjecto, ut quicumque insulam predictam coluerint, predictos octo choros tritici annuatim soluere prefatis sanctimonialibus tenebuntur. Hujus rei testes sunt milites nostri Conradus de Snetlinge, Hermannus de Reder, Bertramus et Fridericus de Eckstede, Diethardus de Woztrowe et alii fidedigni. Ne uero rationabilis hec nostra donatio a nostris successoribus irritetur, presens scriptum super hac editum ipsis sanctimonialibus donauimus, sigillorum nostrorum munimine roboratum. Actum Vitumantorpe in curia, Anno domini M^o. CC^o. LXXX^o. III^o., Nonas Januarii. Datum per manum domini Meynardi, nostre curie capellani.

L. v. Ledebur's Allg. Archiv III, 342.

V. Boguslaw, Barnim und Otto, Herzöge von Pommern, bestätigen dem Kloster Gramzow seine in den Landen Stettin und Piritz gelegenen Besitzungen, am 22. März 1289.

In nomine Sancte et indiuidue trinitatis amen. Boguslaus, Barnim et Otto, Dei gratia Duces Slauorum, Vniuersis Cristi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit in perpetuum. Quoniam generatio preterit et generatio aduenit et nullius rei certitudo sub celi ambitu continetur, necesse est acta principum, que sub defluente tempore ordinantur, legitimis documentis adeo perhennari, ut eorundem in posterum excludatur omnis occasio malignandi. Quamobrem reuerende nationi presentium et felici successioni futurorum presentibus decernimus esse transmittendum, quod nos predecessorum uidelicet dilecti patris nostri bone memorie domini Barnim et aui nostri junioris Bugslai, nec non proauis nostri senioris Bugslai, quorum deuocionibus humiliter inherentes, qui multas proprietates ecclesie Sancte Marie Virginis et beati Johannis apostoli et Euangeliste in Gramtzow diuine remunerationis intuitu deuote et liberaliter contulerunt et eandem primitus fundauerunt, ipsi etiam ecclesie ob spem remunerationis eterne simulque ad recompensationem damni, quod quandoque per nostros aduocatos, nuntios seu alios officiales nobis